

nam, quamdiu a fenestris suis evolantes iterum revertuntur, tamdiu sunt domini sui. Si autem in quattuor diebus non revererint, per quemcumque postea recipiuntur, illius erunt. Item quicumque vederspil¹⁾, pavones vel columbas infra dies prescriptos cepit et non restituerit, si dominus verus hoc probaverit, quantumcunque tempus transierit, adhuc restituet, et insuper iudici in media parte et extimationis obligabitur in emenda.

19.²⁾ Rubrica de privilegiis iudeorum sententiandis. Item secundum privilegia ipsis per dominum Ottokarum³⁾ data et consequenter per reges Bohemie et marchiones Moravie in hodiernum ratificata taliter sentencianda declaramus⁴⁾: a) Quod iudeus recipere poterit nomine pignoris omnia, que fuerunt sibi obligata, quocumque nomine censeantur, nulla de hiis requisitione facta, exceptis vestibus sanguinolentis et madidis et sacris vestibus.

b) Item iuxta eadem⁵⁾: Si christianus impetiverit iudeum, quod pignus quod iudeus habet, ei furtim vel per violentiam sit ablatum, sicut in presenti casu de panno furato, tunc iudeus iuret super illo pignore, quod, cum receperit, furtim raptum vel ablatum ignoraverit, hoc in suo iuramento impliciter, quanto sit ei pignus huiusmodi obligatum. Et sic expurgatione facta, christianus sortem et usuras ei persolvat, que tempore medio accreverunt. Si vero iudeus ad requisitionem de panno negasset et postea apud ipsum inventum fuisset, ipse merito eundem pannum gratis restituisset.

c) Ipsi etiam iudei Brunnenses pignora quecumque preter prius dicta, quolibet tempore recipiunt indifferenter, non obstante, quod serenissimus dominus noster imperator Karolus civitati Brunnensi contulerit gratie prerogativam⁶⁾, videlicet, quod nullus iudeus, moram trahens in civitate nostra Brunnensi, pignus quodcumque post occasum solis a cuiuscunque^{kk)} personis, notis vel ignotis, recipiat, ymo etiam de die nec de equis, vaccis etc., de quibus quod subtracte fuerint suspicio habeatur et infra. Sed iudei in suis privilegiis antiquis permanebunt^{ll)}. Nec credi-

^{kk)} Im Original nach CDM. quibuscumque; f. Anm. 6.

^{ll)} Hs. permanere.

¹⁾ Deutscher Ausdruck kommt im Schb. u. anderen Brünner Satzungen nicht vor.

²⁾ S. o. S. 439.

³⁾ Original abgedruckt CDM. IV S. 17 nr. 16, lateinisch.

⁴⁾ Ist c. 5 der Judensatzung, bei Rößler c. (117) deutsch. Original f. Anm. 3. Hs. mit geringen Abweichungen.

⁵⁾ Ist c. 6 der Judensatzung bei Rößler c. (118) deutsch, Wortlaut bis accreverunt, mit Erweiterungen in Hs., Original f. Anm. 3. Hs. mit geringen Abweichungen.

⁶⁾ Original abgedruckt CDM. VII S. 554 nr. 764: Prag 23. 3. 1348; von Monse erwähnt 106; Hs. mit geringen Abweichungen vom Original, Schluß mit der Bestimmung über zwei Zeugen bei Pfandnahme, Strafen fehlt Hs.